

Za  
2920





QK. 226.

זכרונו צדיק לברכה:

Prohemus

Za  
2920

Ad

Auscultandas

ORATIUNCULAS SCHOLASTICAS,

Quibus

V I R O

Clarissimo & Præcellentissimo,

D<sub>N.</sub> M. JOHANNI

BOHEMO,

Philologo celeberrimo, Poëtæ Laureato

Cæsareo, Lycei Dresdensis Reçtori per XXXVII.

annos meritissimo, nunc beato,

Cras, Deo volente, hora II. pomeridiana;

duo parentabunt discipuli,

Omnes rei scholasticæ Patronos, Fauto-

res & Amicos eâ, quâ par est, observantia, sedulitate &

humanitate invitat, illorumque præsentiam & amici-

tiam gratiosam rogitat

M. JOH. AUGUSTINUS EGE.

NOLFUS, Scholæ Crucianæ Reçtor.

D R E S D Æ,

Ex Officina Electorali, Typis Viduæ & Hæ-

redum Melchioris Bergenii.



DAVID JOHANNI

BOHEMIA

Philosophiae Doctor

1680

in

M. J. AUGUSTINUS

1680

1680





ישיב ימי



Non desunt circumscripti & serviles quorundam animi, qui de Scholis optimè meritos susque deque habent Magistros ac Præceptores, neque pilo pluris faciunt, quam quemvis alium de plebe, ne dicam, quam ancillam, quæ latrinam lavet. Hinc audias in conviviiis, aliisque conventibus,

complures invehi in *χολαλώπεκας*, Artispicios, Tympanotribas, Mendicos, Literatores, Plagiatores, sæpè etiam crucæ puerorum & carnifices, qui, tametsi non mala sit horum natura, curatura eos reddant truceos, & miserrimè tandem habitos pessudent: id quod Symposiorum & conviviorum omnium præcipuum est condimentum. Facit id, ut non pauci literas fastidiant, aut habeant sine cura, ne videlicet in Scholas, ubi plus oneris, laborisque, quam honoris aut fructus sperandum, detrudantur. Unde pauciores sunt, qui eo pollent ingenio, eaque eruditione, quibus instructos esse oportet atque exornatos, qui & utiliter teneram informare ætatem, & literarum tueri dignitatem debent; & facilius est hodie, decem Ecclesiæ ministros (verba non ita pridem fuere, Theologi cujusdam nostri summè reverendi) vocare, quàm unicum pium, eruditè doctum, & rei scholasticæ verè peritum Ludimoderatorem. Sed quinam illi, quorum arrogantiori supercilio Præceptorum adeò sordet humilitas, ut crudeliter miseris quidem illos macent modis? *Vulgus est, vulgus, ait Cic. pro Eloquentiæ Magister, in quo non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia: Semperque sapientes ea, quæ populus fecisset, Gothofr.*

Cic. pro  
Planc. mem.  
mibi 9. edit.  
cisset, Gothofr.



- Cic. ibid. rmeem. 7.* *cisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. Quomodo autem judicabit, in quo ratio non est? Quomodo rectè judicabit, qui semper iniquus judex est? dum aut invidet aut favet. Valeant igitur, quicumque, pro judicio stantes erroris sui, non unius Ludimagiutos assis faciunt, nec cassa sibi emptos nuce volunt ad unum omnes. Alia mens fuit, alius animus Imperatoribus, Regibus atque Principibus, quorum*  
*Semper honos, nomenque virent, laudesque manebunt.*
- Vell. Paterc. II, 29.* Magnus certè Pompeius, quem per omnia fortunam hominis egressum memorat Paterculus, confecto Mithridatico bello, Posidonii, sapientiæ professione clari, domum intraturus, fores percuti de more à lictore vetuit, & sic fasces januæ lictorios submisit is, cui se oriens occidensque submiserat. Quanto in honore Aristoteles, Alexandri Magni Præceptor fuerit, epistola Philippi Patris, quam Gellius (aliis Agellius) nobis reliquit, satis abundè testari potest. Insigne profecto maximorum in regno & republica Virorum de nostris testimonium: ad quorum magnitudinem quò propius ceteri accesserunt Viri Principes, tantò impensius id egerunt, ut laudabili ab eorum exemplo quàm proximè abessent. M. Antoninus Philosophus, totius defensor orbis, tantum honoris suis detulit Magistris, ut imagines eorum aureas haberet in Larario, ac sepulchra aditu, hostiis, floribus semper honoraret. Idem Frontoni Cornelio, in Grammaticis Præceptoris suo, statuam petiit in Senatu; Eutyrium verò Proculum Siccensem usque ad proconsulatum provexit. Junium etiam Rusticum, Peripateticæ addictum Philosophiæ, in conspectu Præfectorum prætorii semper osculatus est, Consulè iterum designavit, eique post obitum à Senatu statuas postulavit. De Sexto Chæronensi, Philosopho, sene jam octogenario, quò usus fuerat familiarissimè, idem scribit Imperator, se nescire, an ullus unquam Philosophus in Romanorum imperio tantum valuerit. Antipatrum Hierapolitanum, qui Severi Imperatoris filios literis imbuit, subinde Deorum Præceptorem, honoris causa, nuncupatum fuisse Cælius Rhodiginus
- Gell. IX. 3.*
- Jul. Capitolin. in vita Antonini.*
- Horol. Princ. I. 3.*
- Cæli Rhodig. XXI. 33.*

ginus observavit. Gratianus Aufonium Poëtam absentem re-  
nunciavit consulem discipulus gratissimus.

Jos. Scalig.  
In vita Au-  
sonii.

*Sunt alii plures, quorum si nomina dicam,*

*Albis ego numerum scribere coner aquæ.*

Verum & hodiè, per Dei gratiam, non tantum Reges & Principes, sed etiam Magistratus optimi florentissimis reperiuntur in urbibus, qui fautores & Patroni scholarum audiunt & Præceptorum scholasticorum, quique alacria excitant ingenia, & præmiis invitant laboris non tantum patientia, sed & ejusdem appetentia, eaque contra malevolorum atque Zoilorum insultus defendunt, ne ex schola, tanquam ex pistrino, aufugiant, sed eò promptius officium exequantur. Ubi simul admiranda est divina providentia, quæ Paulo plantanti, Apollini riganti, utrique semina artium & scientiarum in teneris puerorum animis delitescencia ventilanti, excitanti atque manifestanti bene dicit, atque, non sine nominis & famæ illorum celebritate, laboribus scholasticis, in Christi nomine cœptis, non contemnendum addit incrementum. Et quamvis sterili in cathedra rari inveniantur obeso corpore Magistri, qui plerunque graciles & macilentisunt, quippe non abdomini, sed laudi & gloriæ nati, ut de phthificis, & morbo hypochondriaco, quem ex vita contraxerunt sedentaria, laborantibus, nihil dicam; tanta tamen est omnipotentis rerum Creatoris benignitas & clementia, ut piorum Scholæ Rectorum atque Magistrorum vitam, quam juventutis institutioni atque scholis unicè consecrarunt, seros in annos producat, & officiis suis præesse sinat quàm diutissimè. Taceo hic Neandros, Trocedorffios, Siberos, Fabricios, Lolejos, Weitzios, Wilckios, aliosque qui jam pridem cœlestibus infert choris

*Sublimi feriunt sidera vertice;*

& paucis saltem quorundam nostri temporis Rectorum & præceptorum mentionem facio, qui digni, mihi quidem, homini scholastico, visi sunt, quorum nomina aliquo posterorum memoriæ catalogo commendentur.

A 3

Sunt

Sunt autem

**DN. M. JOHANNES SCHÖLLENBERGERUS**, Rector  
Gymnasii Freibergensis, mortuus anno ætatis  
LXXVII. laborum scholasticorum XLVIII. d. 23.  
Maji Anno M DC XLII.

**DN. M. CHRISTOPHORUS CAROLI**, Rector Schne-  
bergensis, annos XLI. laboravit in pulvere scho-  
lastico, mortuus anno ætatis LXXXII.

**DN. M. JOHANNES MERCKIUS**, Rector Illustris  
ludi Grimmensis mort. anno M DC LVIII. cum  
vixisset annos LXXXI. & duabus in scholis,  
Grimmense nempe & Lipsiensi laborasset XLVIII.  
ann.

**DN. M. JOHANNES ZECHENDORFFIUS**, Rector  
Cygneus, natus est Lösnitii 1580. d. 8. Augusti,  
denatus Cygneæ, d. 17. Febr. 1662. vixit annos  
LXXXI. menses VI. hebd. I. dies 2. & Schneber-  
gæ atque Cygneæ in pulvere desudavit scholasti-  
co annos LII.

**DN. M. GEORGIUS ARNOLDI**, Rector Scholæ An-  
næbergensis, per XLIV. annos dignissimus, &  
ultra XII. emeritus, leni quasi somno occupatus  
d. 28. Novembr. M DC LXVI. expiravit, an-  
no ætatis LXXXVII.

**DN. DAVID VECHNERUS**, Görlicensis Ecclesiæ Pri-  
marius, & Gymnasii Rector, ab anno 1624. usque  
ad



ad annum 1669. quo mortuus est, per XLV. annos in scholis docuit & Ecclesia, vixit annos LXXV.

DN. M. GEORGIUS LEUSCHNERUS, Rector Coldicensis, mortuus est 29. Dec. M DC LXXII. ætat. LXXXIV. cum in eodem ludo literario per biennium Baccalaureus, & per integros LV. annos Rector fuisset, & quidem, quod notatu dignissimum, sine substituto.

DN. M. ANDREAS REIHERUS, Rector Gothanus, mortuus est 2. Aprilis anno M DC LXXIII. ætatis LXXII. & laborum scholasticorum XLI.

DN. MICHAEL GRIEßBACH / Scholæ Chemnic. III. meus olim collega Patris loco habitus, in scholis docuit XLIX. ann.

DN. WOLFGANGUS ZENICHEN / scholæ Dresdensis III. supra illos.

DN. SAMUEL HELMERTUS, ejusdem scholæ Collega & collaborator fuit per LI. Ejus autem socer, DN. THOMAS PIETSCHIUS per XLVIII annos.

His omnibus jure venit accensendus Vir Clatissimus & Præcellentissimus, DN. M. JOHANNES BOHEMUS, Poëta laureatus Cæsareus, & Philologus multæ meritaque celebritatis. Natus hic est anno M D XCIX. d. ii. Junii, hora V. matutina, ♃ & ♀ conjunctis in Horoscopo, in pago Dietmansdorff / ad milliare præter propter Freiberga distante, qui locus Toparchas agnoscit Illustres & Generosissimos Dominos à Schönberg / quorum

quorum singularis familiae splendor longa per secula, serie continua propagatus, tantus ac tam amplus est, ut Ecclesia & Respublica, & pacis & belli temporibus, semper eos admirata fuerit Eminentissimos. Quod si ergo Iscanum municipium, Iusti Lipsii patriam, venerabunda colit ac aestimat Belgarum posteritas, ut Romuli olim casus Romani, & Roterodamum, ubi Erasmus natus est, Batavi, cur non & Dietmansdorffii capiamur amaenitate, imprimis, cum, praeter huuc nostrum, & alium hisce terris ediderit Rectorem, Virum celeberrimum, ac de tribus jam Gymnasiis, in Misnia & Lusatia, per XXVI. annos, & quod excurrit, meritisimum.

Parentes BOHEMI nostri fuere *Matthaeus Bohemus* & *Anna Mühlbergeria*, genere humiles, at perhonesti, & sincera pietate conspicui, e quorum casa Vir magnus prodiit felicissime, qui jam inde ab auspiciu propemodum vivendi spirandiq; stabilem & bene compositam ostendit indolem, & longo annorum decursu ita omnium animos & oculos in se detinuit defixos, ut facile se probaverit Virum eruditione praestantem, dexteritate spectabilem, pietate etiam, quod primo ponendum erat loco, & omnibus aliis virtutibus praeditum ac florentem.

In celeberrimo Freibergensium Gymnasio, quo ingenii excolendi gratia missus erat a Parentibus, ita se semper vindicavit sibi, ut omnes bene collocaret horas, ne dum doctrina differretur, vita transcurreret, dubiusq; ex castino pendere cogere-  
retur. Ad augustam Musarum aedem, quae Wittebergae est, cum anno M. DC. XVII. primo Ecclesiae Evangelicae jubileo, devenisset, non Vacunae litavit aut Murciae, neq; ad aleam aut fritillum cum comptulis aetatem transmittere voluit adolescentibus, sed auscultando, legendo, disputando, concionando etiam, nihil cuiquam aequalium suorum fecit reliqui, imò noctu etiam, more Cleantheo, sua urfit studia. Factum igitur, ut non solum gradu Magisterii d. 25. Septembr. anno M. DC. XX. Sed etiam laurea poetica a Viro Magnifico, Dn. D. Simone Malfio, Com. Pal. Caes. &c. d. 29. Octobr. M. DC. XXV. meritisimo suo exornaretur. Neque diu latere potuit  
BOHE-

BOHEMI nostri pertinax, quod linguis potissimum Orientalibus impenderat, studium atq; labor, multisq; annis confirmata eruditio & experientia, sed vera & constans, quæ tot doctorum per ora Virorum volabat, effecit fama, ut ab Amplissimo Senatu Hallensi vocationem (sunt verba Beati nostri) ad Conrectoratum acceperit d. 5. Aprilis M. DC. XXVII. Quo munere cum in celebri ibidem Gymnasio super XII. annos functus esset, Dresdam, præter omnem spem & expectationem, vocatus est ad Reçtoratum, d. 9. Sept. M DC. XXXIX. atq; ita, per DEI gratiam, super XLIX. annos Scholasticam juventutem non infeliciter instituit. Cujus virtuti quamvis osiores ac rosiores non defuerint, tectus tamen omnipotentis clypeo theoninos obrectatorum dentes pluris haud fecit, quàm generosus equus latratum catelli. Serenissimum ac Potentissimum Electorem, ac Dominum nostrum omni loco & tempore expertus est clementissimum. Maximos etiam in aula Electorali Heroas quoscunq; quotidie, ad extremum usq; habitum, sibi habuit faventiores. Sed & influxum Jovis sensit, & siderum jovialium. Nam, ut de multis nihil addam Serenissimi nostri congiariis, in scriptis suis publicè testatus est, se plus una vice centum simul florenos à Patronis dono accepisse. Ita enim scribit ad Per-Illustrem, Generosum maximè & Excellentissimum Dominum Nicolaum à Gersdorff, in Baruth &c. Toparcham, Sereniss. Saxon. Elect. Consiliarium intimum atq; Comitem, &c. d. 1. Januarii 1667.

*Centum florenos, dicam, (Northusius alter  
Es) mihi donabas, sponte, Patrone, tua.  
Sensibus hanc imis (namq; est res digna) repono,  
Quisquis es, est rarus talis in orbe dator. &c.*

Nemo itaq; mirabitur, si non tantum Beatus noster, raro Scholasticorum exemplo, nulla re eguerit, verum etiam ad fatis amplas, divina benedictione, pervenerit opes, quas grata jam sumunt manu heredes lineæ descendentes. Verum inter alias BOHEMI nostri felicitates neq; hæc tacenda, quod per

B

unum

unum & quinquaginta annos dilecta vixit cum uxore, *Elisabetha Prætoria*, tantoque temporis intervallo alter in altero, quod quereretur, non invenit. Si enim illi posterorum digni memoriâ, qui triginta convixerunt annis in conjugio, & Viro Excellentissimo, M. Johanni Fridericho, Professore Academico, de conjugio tricennali anno M. DC. XXII. Lipsiæ exacto Patroni & Fautores gratulati sunt, quorum votis ipsemet non nihil præmisit carminis, cujus initium:

*Vita mihi in thalamo ter denos acta per annos,  
Vix totidem visa est ire per hebdomadas. &c.*

Quantò magis hujus diuturnitatem matrimonii literarum monumentis committamus, in quo ita se amarunt, & venerati semper sunt invicem **JOHANNES & ELISABETHA**, ut qui non nosset conjuges, sanctissimum fratris & sororis contubernium putaret. Paucis ut me expediam, fortuna **BOHEMO** favit constantissimè, & quamvis quandoque, ut rerum sunt vices, se videretur subducere, nequaquam tamen recessit; sed eâ etiam ætate, quâ multi jacent fracti, defectique viribus & inutiles, pristini hæc oris ad ultimum usque vitæ diem ostendit lætitiâ, adeò, ut solo senectutis morbo, nisi me fallunt omnia, tandem naturæ reddiderit debitum, & Dominica XV. post Trinitatis, quâ relictis hisce mundanis regnum **DEI** primariò quærendum esse docemur in Ecclesia, ipse ex improvise in mortis colliminio positus, inter preces domesticorum atque vicinorum, dum ea recitarent verba: *Ach Herr/ laß deine liebe Engelein/ ic. lampadis instar, quæ suo destituta pabulo consumitur, placidissimè expiraverit, atque omni sine dubio jucundissimum vitæ futuræ prægustum senserit æternitatis Candidatus, postquam vixisset LXXVII. annos & XII. septimanas, atque supra XLIX. annos duobus in Gymnasiis studiosam pietate, linguis & artibus adolescentiam instruxisset. Hucus est sequenti Solis die, decimo nimirum Septembris, in cœmeterio ad B. Virginis, non tamen ille, qui corpus contexit, tumulus nomen etiam atque famam obruere poterit Viri celeberrimi,*  
Dignum

Dignum laude Virum Musa vetat mori,  
nec omnis adeò Virtutis delebitur memoria, ut iusta Beatum  
nostrum præconia destituere videantur.

Namq̃ BOHEMUS erit, dum DRESDA erit atq̃ *M. Tob. Pe-*  
LYCEUM, *term. in vita*  
Quumq̃ nec HOC, nec erit DRESDA, BO-*Bohemi,*  
HEMUS erit.

Zenonem Philosophum, qui juvenes Athenis ad virtutem & *Diog. Laert.*  
frugalitatem exhortatus fuerat, vitamq̃ suam exemplar ver-*Zenone p.*  
bis ac doctrinæ consentaneum proposuerat omnibus, inter *m. 441.*  
alios honores, quos defuncto Senatus Atheniensis decreverat,  
publicè coram populo laudatum, & corona exornatum aurea  
accepimus. BOHEMO, Doctore iustitiæ, non tam fori,  
quàm fidei, jam pridem aurea in cœlis reposita est corona,  
quam nuper sancto imposuit capiti JESUS, Scholasticorum  
Tutor & Patronus.

Nostrum autem est, Beati prædicare laudes, quæ semen  
quasi sunt, ex quo vivorum virtus vel succum habeat, quò  
vigeat; vel vim, qua vivat in æternum. Duos itaq̃ ex nu-  
mero Discipulorum prodire iussimus, in medium, quo-  
rum alter

JONAS GELENIUS, S. Georg. Hungarus,  
beatè defuncti ortum, cursum & portum soluta oratione;  
alter verò

CASPARUS HEINRICUS GRAUNIUS,  
Strignieens. Misnicus

perturbatæ querelam Musæ, carmine elegiaco, depromet ex  
memoria; ita quidem, ut omnes illorum cogitationes, quam-  
vis succrotilla prolata voce, ad laudem & honorem Beatissimi  
sui quondam Præceptoris, Viri de Scholis per semiseculum  
ferme meritissimi, referantur.

B 2

Huic

Za 2920

OK

Huic ergò parentationi, omnes literarum & li-  
teratorum Patronos & Fautores Summos, Medioximos,  
Imos, ut, sepositis paululum gravioribus negotiis, mis-  
sisq; curis domesticis, interesse, & supremum hunc beate  
defuncto Exrectori honorem præstare velint, hisce invi-  
tatum eo. Quod si obtinuero, tantum grata mente be-  
neficium ubiq; celebrabo, qui me ipsum, cum aliud of-  
ferre haud liceat, redhostimenti loco promitto ad omnia  
tàm promptum, quàm promptissimum,  
dum Spiritus hos reget artus,

*P. P. d. XI. Decembr. M. DC. LXXVI.*



WPA

M.C.

& li-  
mos,  
mis-  
beate  
invi-  
te be-  
id of-  
omnia

Pon Za 2920, QK

ULB Halle

3

003 261 905







QK. 226.

צדוק לברכה:

Ad

Auscultandas

ORATIUNCULAS SCH

Quibus

V I R O

Clarissimo & Præcell

D<sub>N</sub>. M. JOH

BOHEM

Philologo celeberrimo,

Cæsareo, Lycei Dresdensis Re

annos meritissimo, nu

Cras, Deo volente, hora

duo parentabunt dif

Omnes rei scholasticæ P

res & Amicos eâ, quâ par est, ob

humanitate invitat, illorumque

tiam gratiosam re

M. JOH. AUGUST

NOLFUS, Scholæ Cru

D R E S D

Ex Officina Electorali, Typ

redum Melchioris B

